



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

pecunia dantis, nequaquam anima pereuntis, non enim illa datio in-
nititur, nisi redimendae animae. Credo quod si uel asinus impo-
neret aurum, etiam redimeret, quod si requiritur aliqua disposi-
tio, necessario & gratia, cum Christianus peccator magis displi-
ceat deo quam ullus infidelis, nec tantum dedecorat asinum ru-
dibilitas, quam Christianum impietas. Secundo, dixi confessiona-
lia quidem peccatoribus, sicut & remissiones poenarum dari posse.
Sed non dixi, ut hortandi, immo nec permittendi sint talia re-
dimere, sicut ipsi impie & crudeliter docent, quod probo.

Primo, Omnis doctrina Christi est exhortatio ad poenitentiam
& id agit, ut homines quamocius a diabolo recedant, sicut ait Ec-
clesiast. Ne tardes conuerti ad dominum. Et ipse dominus. Vigila
te, quia nescitis diem neque horam. Et Paulus, Festinemus ingredi
in requiem illam. Et Petrus, Cum ergo haec omnia consumanda
sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietati-
bus properantes in aduentum diei &c. Sed haec ideo illi docue-
runt, quia solliciti erant, non quomodo pecunias colligerent, sed
animas saluarent. Hij uero uelut secure illis tribuunt miseram di-
lacionem, & quantum in eis est, in periculo aeternae mortis relin-
quunt, ita ut nesciam an tali studio sint ab homicidijs animarum
excusati, quippe non quaeritur hic salus dantis, sed donum pere-
untis, cum, si essent boni pastores animarum, & uere Christiani
omnibus studijs agerent, ut peccatorem ad timorem dei, & hor-
rorem peccati inducerent, nec quiescerent flendo, orando, mo-
nendo, increpando, donec animam fratris lucrifacerent, quod si il-
le pergeret pecuniam dare, perseueraturus malus, in faciem ei re-
ijcerent, & cum Apostolo dicerent, Non quaero tua, sed te. Et iter-
um, Pecunia tua tecum in perditionem. & abhorrent a con-
spectu eius. Sic sic recte agerent, sed absit hoc a Mercurio nostro.
quin id potius agamus, si uenerint peccatores, mediatoribus in-
doneis freti (.i. lucris) etiam inuito Christo cum uniuersis apostolis,
sint sicut unus ex nobis, nihil non potentes, quod nos possumus,
etiam animas redimere ipse sine intermissione pereuntes, etiam ridentibus
nobis, & de dono eorum secure gaudetibus. Ista est charitas in
populum Christi, & fratres nostros. ita curamus animas eorum ut intel-
ligat in suis peccatis, nos nouissimam. i. nullam compassionem habere.

CONCLUSIO XXXVI.

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Quilibet Christianus uere cōpunctus habet remissionem plenariā a pœna & culpa, etiā sine literis ueniarū, sibi debitā

ALIOQVIN in peticulo essent, qui literas eiusmodi non haberent, quod falsum est, cū illæ sint neq; præceptæ, neq; consultiæ, sed liberæ. Neq; peccant, qui eas negligunt, nec ideo in periculo salutis sunt. Quod ex eo patet, quia tales iā sunt in uia mandatorum dei. Et per casum, si quando ei non daretur eiusmodi remissio, deberur tamen ei, ut dicit Papa. Sed hic intercedit, O acutissimū ingenium quorundam dicentium, quod uera hæc essent, si canones essent pœnæ tantum a Papa politæ. Nunc uero sunt declaratorij pœnarū a deo inflictarum. Sic loqui decet eos, qui ueritatem semel perpetuo odio persequi proposuerunt.

Primū pronuntiant uelut ex oraculo, quod deus pro peccatis pœnam satisfactoriam requirit. Aliam scilicet quā crucem euangelicā (id est, ieiū, labo, uigi.) aliam quā castigatorem, nō enim has intelligunt, quia has remitti nisi a deo non possunt negare.

Secundo, huic monstro addunt maius, scilicet quod canones declarent impositam, ergo Papa nō habet, nisi declarare, nuncq; autem imponere, nec relaxare, alioquin contra uerbum Christi hij sic docebunt nos, Quicquid ego ligauero, tu solues.

CONCLUSIO XXXVII.

Quilibet Christianus uerus, siue uiuus siue mortuus, habet participationem omnium bonorū Christi & Ecclesiæ, etiā sine literis ueniarum, a deo sibi datam.

IMPOSSIBILE est esse Christianū, quin Christū habeat. Quod si Christū, & omnia simul quæ Christi, Dicit enim B. Apostolus Ro. xij. Induimini dominū Iesum Christū. Et Ro. viij. Quō non omnia nobis cū illo donauit. Et i. Cor. iij. Omnia uestra, siue Cephas, siue Paulus, siue uita, siue mors. Et i. Corin. xij. Nō estis uestri, sed membra de membro. Et alijs locis, ubi describit unū corpus, unū panem, nos omnes esse in Christo singulos alterū alterius membra. Et in Cant. Dilectus meus mihi, & ego illi, quia per fidem Christi efficitur Christianus unus spiritus, & unū cū Christo. Erūt enim duo in carne una. Quod sacramentū magnū est in Christo & Ecclesia. Cū ergo spiritus Christi sit in